

SCRIPTA

Numéro Scripta : 233

Auteur(s) : Yves, Beaumont-sur-Oise (comte)

Bénéficiaire(s) : Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye, abbé)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : 1080

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Yves, comte de Beaumont, et Aelis, sa femme, voulant établir des moines dans l'église Sainte-Honorine de Conflans, donnent cette église au monastère du Bec-Hellouin, avec le consentement de l'évêque de Paris qui réserve certains droits de l'ordinaire. L'acte est souscrit par Philippe Ier, roi de France.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Prou Maurice, *Recueil des actes de Philippe Ier, roi de France (1059-1108)*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1908, n° CII, p. 203-204.

Texte établi d'après a

Anno ab incarnatione Domini 1080, Ivo, comes de Bellomonte, et Adhelidis, uxor ejus, volentes in ecclesia sanctæ Honorinæ de Confluentio a monachis Deo deserviri, dederunt eam et omnia ad illam pertinentia Beccensi monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, sub libera potestate et ordinatione abbatum præfati cænobii. Huic donationi reverendus episcopus Parisiensis, Gosfridus, de cujus parrochia et beneficio est, ut semper mos est bonos bene actis favere, cum canonicis Parisiensis ecclesiæ sanctæ Mariæ consensit, suæ ecclesiæ reservando ut, si quando, aliqua ratione exigente, per totum episcopium Parisiense aut in prædicto tantum castro divinum officium episcopus Parisiensis celebrari publice prohibuerit, monachi in eadem ecclesia deservientes, post perceptam ab episcopo vel ejus nuncio jussionem, id observent, et, si causa consilii abbates vel priores in episcopatu Parisiensi manentes evocantur, si quis monachus in ea ad hoc idoneus manserit, invitatus venire non contemnat ; et nullus monachus, ibidem conversans, in Francia sacros ordines accipiat sine consensu episcopi Parisiensis nisi ab ipso ; quos tamen ordines iidem monachi, quandiu Beccensis erunt monasterii, in Normannia, si opportunitas exegerit, accipiant. Hoc etiam observabitur ut abbas Beccensis non quærat aliquando ut mater ecclesia Parisiensis de ecclesia sanctæ Honorinæ hoc vel aliquid aliud, quod eatenus ibi habuerat, perdat. Curam vero animarum, quantum ad eandem ecclesiam attinet, abbati Beccensi ab episcopo Parisiensi habere concessit episcopus. Testes : Gosfridus, episcopus Carnotensis ; Ursus, prior sancti Martini de Campis ; Gislebertus, Hugo, Nicholaus, Eustachius, monachi Beccenses. Laici : Anastasius et Helinan de Confluentio ; Rossetus de Bellomonte ; Rod[ulfus], dapifer comitis de Bellomonte ; Willelmus Calvus ; Rodulfus Blondus ; Gunfridus de Burnenvilla, et plures alii clerici.

+ Signum regis Philippi.

+ Signum episcopi Parisiensis Gosfridi.

Hoc quoque confirmaverunt, in capitulo sanctæ Mariæ Parisiensis, Johannes decanus, Drogo, Goszelimus, Ivo, archidiaconi, Walerannus cantor, Ricardus, Bernardus et alii canonici.